



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *MAIDUGURIENSIS\** PRAEFECTURA**  
APOSTOLICA MAIDUGURIENSIS AD GRADUM ET DIGNITATEM DIOECESIS EVEHITUR, SERVATO NOMINE  
ATQUE FINIBUS. Id semper fuit proprium huius Apostolicae et Romanae Sedis, omnium quidem Ecclesiarum  
matrisatque parentis, ut non solum christiana Rei publicae fines quam late propagaret in populos  
ac gentes universas, Conditori suo in omnibus consiliis obsequens (cfr. *Mc.* 16, 15), verum etiam  
ut iis, qui in hoc ipso multum operae ac laboris consumpsissent, deque christiana fide deque  
Ecclesia bene meruissent, laudes et grates ageret. Quam ob rem, cum in praefectura apostolica  
Maiduguriensi, in supero territorio Nigeriae Orientalis sita, sive Dei gratia operante, sive labore  
Pratrum ex Ordine Eremitarum S. Augustini, iam magna cepisset incrementa, censuit Sacra  
Congregatio Fidei Propagandae bene catholicae rei cedere posse, si eadem praefectura in  
ordinem dioecesium redigeretur; quod et Sodalibus, a quibus gubernaretur, honori esse.  
Quapropter, negotio qua opus esset consideratione reputato, consilioque petito a venerabili Fratre  
Aloisio Bellotti, Archiepiscopo titulo Voncarianensi eodemque Delegato Apostolico in Africa Media-  
Occidentali, haec quae sequuntur decernimus. Apostolicam praefecturam *Maiduguriensem* in  
dioecesis annumeramus, iisdem limitibus atque nomine, cuius administratio apud eosdem  
Patiens erit ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, qui adhuc eandem circumscriptionem  
rexerunt, quique, spes est, vel alacriore voluntate sacro operi instabunt; ea praeterea Kadunaënsi  
Sedi obnoxia erit. Novae Ecclesiae urbs caput Maiduguri erit, in qua Episcopus domicilium  
constituet, cathedra sua potestatis in principe templo collocata in eadem civitate. Indulgemus  
autem ut, si Episcopus nequeat, ob temporum adiuncta, Canonicorum Collegium condere ad  
leges ecclesiasticas, Consultores dioecesanos deligat, qui ipsi assint consilio et opera. Sollicito  
autem studio idem Seminarium struat, puenis excipiendis, quos Deus numine suo et invitatione ad  
sacerdotalia munia traxerit. Ad regimen, praeterea, dioecesis quod attinet, ad electionem Vicarii  
Capitularis, Sede vacante, ad cleri et populi iura et onera, ea ad amussim serventur, quae lex  
canonica statuit. Ceterum, quae iussimus, venerabilis Frater Aloisius Bellotti ad exitum deducet,  
vel quem ipse de1egaverit. Idem vero documenta exarari faciet, sincerisque exemplis ad Sacram  
Congregationem Fidei Propagandae mittet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae  
per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant.  
Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum

per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nonagesimo sexagesimo sexto,  
Pontificatus Nostri tertio.*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI  
*S. R. E. Cancellarius*

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN  
*S. Congr. de Prop. Fide Praefectus*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, Proton. Apost.*

*Sylvius Romani, Proton.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n.16, pp. 1121-1122 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana